

- Obs. II.** *Crusta seminum* quidem vel aliud est, quam continuatio glumæ exterioris, illam tamen, cum integerrima, tenax & in subiecto hirsutissima sit (glumæ glaberrimæ sunt), credidi distincto titulo naturaliter tradendam esse, nec cum corolla conjungendam, quod affirmat quoque dissepimentum simplex, membranaceum.
- Obs. III.** Videtur participare cum ambobus ordinibus naturalibus, nempe *Calamariis ord. XIII.* & *Graminibus ord. XIV.* licet calamariis proprior.
- Obs. IV.** *Lygum* nominavi synonymo veteri Athenæsi, quod derivatum fuit à græco *λυγος*, vimen virga vel *λυγώω* flecto ob usum plantæ.
- SPECIEM** unicam solum novi, cujus mentionem varii auctores fecerunt.

## SYNONYMA.

- Spartum herba alterum. *Clus. hisp. 506. f. 507. hist. 2. p. 220.*
- Spartum alterum Clusii. *Lob. belg. 122. obs. 45.*
- Spartum Plinii & Clusii alterum. *Lob. ic. 88.*
- Spartum alterum Plinii. *Dalech. hist. Tab. ic.*
- Sparti herbæ alia species. *Dod. pempt.*
- Gramen sparteum 2. panicula brevi folliculo inclusa. *Baub. pin. 5. n:o 2. sheatr. . . Moris. hist. 3. p. 216. f. 8. 2. 5. f. 3.*
- Gramen sparteum 2. Clusii. *Baub. hist. 2. p. 511. Raj. hist. 1259.*
- Gramen spicatum sparteum, spica sericea ex utriculo prodeunte. *Tournef. inst. 518.*
- Hispanis **ALBARDIN**, **ALVARDIN**, nomine ab Arabibus, ut videtur, relicto.

## DESCRIPTIO SPECIEI.

- Radix** repens, fasciculata, filiformis, culmos & folia fasciculata in cæspitem emitens.
- Culmi** teretes, filiformes, glabri, subnudi, unico articulo nudo supra medium vel versus apicem instructi, qui post florescentiam longe excrevit, versus basin vero duobus tribusque articulis confertis, vagina tectis; spithamales usque bipedales.

Folia